

*17th Sunday after Pentecost – Matt 22:34-46*

*IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisaéi: et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum, ex toto corde tuo, et in tota ánima tua, et in tota mente tua. Hoc est máximum et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: Díliges próximum tuum, sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérſa lex pendet et prophétæ.*

*Congregátis autem pharisaéis, interrogávit eos*

*Jesus, dicens: Quid vobis vidétur de Christo? cujus*

*filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quómodo ergo*

*David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens: Dixit*

*Dóminus Domino meo: sede a dextris meis, donec*

*ponam inimicos tuos scabéllum pedum tuórum? Si*

*ergo David vocat eum Dóminum, quómodo fílius*

*ejus est? Et nemo póterat ei respondére verbum:*

*neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ámplius*

*interrogáre.*